Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius

Sánchez, Francisco
Schoppe, Caspar
Perizonius, Jacobus

Franequera, 1687

De ellipsi

urn:nbn:de:bsz:31-109138

Visual Library

LIBER QUARTUS.

In Quartum Librum rejecimus illa, quæ ſubtilioris ſunt conſiderationis, & maximè cauſas Latini ſermonis aperiunt.

De Figuris conſtructionis.

FIGURÆ Conſtructionis ſunt anomalia, ſive inæqualitas partium, quæ fit per Defectum, per Exuperationem, per Diſcordiam per Inverſum ordinem. In Endia ſeu defectu, Ellipſis, & Zeugma; in exuperantia, Pleonaſmos; in enallage ſeu diſcordia, Syllepſis; in ordine perturbato Hyperbaton. Sunt igitur quatuor figuræ: nam Antiptoſis, Prolepſis, Syntheſis, Appoſitio, Evocatio, Synecdoche, cæteræ, monſtroſi partus ſunt Grammaticorum.

De Ellipſi.

ELLIPSIS eſt defectus dictionis, vel dictionum, ad legitimam conſtructionem; ut, *Paucis te volo; Noctuas Athenas.* Terent. *Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non?* ubi Donatus; *Ellipſis eſt, & Apoſiopeſis*; quaſi dicat; ſi ad Grammaticam ſpectes, Ellipſis eſt vocum; ſi verò ad Rhetoricam, Apoſiopeſis, id eſt, reticentia & abruptio ſermonis.